LAUDATIO IN FUNERE BERNARDI MARIAE CARENZONII EPISCOPI FELTRIENSIS...

Francesco Scipione Dondi dall'Orologio

LAUDATIO
IN FUNERE
BERNARDI MARIAE CARENZONII
EPISCOPI FELTRIENSIS

HABITA

IN AEDE METROPOLITANA PARISIENSI
CORAM PATRIBUS NATIONALIS CONCILII

XIII. CAL. OCT. ANN. MDCCCXI.

A

FRANCISCO SCIPIONE
DE DONDIS AB HOROLOGIO
EPISCOPO PATAVINO

REGII ORDINIS ITALICI CORONAE FERREAE COMMENDATORE,
REGNIQUE DYNASTE

PATAVII
MDCCCXII
EX TYPOGRAPHIA SEMINARII

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS.

JOSEPHO MARIÆ PERUZZIO

EPISCOPO CLODIENSI

FRANCISCUS SCIPIO DE DONDIS AB HOROLOGIO

EPISCOPUS PATAVINUS

F.

Quae de Bernardo Maria Carenzonio Episcopo Feltriensi tuo distincta et ornata nomine, Sodalis praestantissime, tibi funebris sistitur Laudatio, quasi fructus alieno in solo propere natus, si minus ampla, quam par est, si minus culta, quam

decet, si serius, quam optabas, in lucem prodit, qualis tandem cumque sit, ad Te certe, qui longi itineris socius, et meorum omnium consiliorum particeps semper fuisti, qui illam nescio quo turbati animi motu effusam tuis manibus excepisti primus, et ad subeundum illius celeberrimae urbis judicium trepidam ac prope invitam excitasti, vel maxime spectat. Tuum sit eandem aequi bonique facere, et me tibi magnopere addictum, meaque studio et benevolentia, qua soles, complecti.

Aedes haec sacra metropolitana apparatu moeroris ac funeris instructa, hoc triste silentium interruptum presso flebilique concentu, illa lugubris Ara, illud ob oculos positum ferale monumentum, tantus conventus hominum, et frequentia praeter consuetudinem moesta ac sordidata, turbatus omnium vultus in mentem mihi revocant, et conqueri quasi videntur cum fallacem hominum spem fragilemque fortunam, tum acerbissimum casum, qui nuper necopinato nos perculit et afflixit, subitum scilicet illius interitum, quem nunc jubeor coram vobis, Celsitudo Eminentissima, Eminentissimi et Reverendissimi Patres, supremo hoc luctus et laudationis officio publice honestare. Oh datum mihi esset ex hoc edito loco tam funesta et infausta enuntianti tuos, Gallia, magnos alumnos et

clarissimos oratores, quorum plena et uberi grandiloquentia hoc toties Templum personuit, tua illa splendidissima et immortalia lumina aemulari, Bossuetium et Flechierium, aliosque in ornandis summorum virorum funeribus tam disertos tamque commotos! Qua eloquentia, quo spiritu virum pietate insignem, Religionis studio praeclarum, vitae integritate conspicuum, de omnibus optime meritum contemplandum vobis objicerem! Quo dolore animi, qua gravitate verborum luctuosissimam Feltriae calamitatem et infortunium deplorarem; ante oculos vobis sisterem moerentes sacrorum ministros, lugentes pauperes, viduarum et puellarum egentium turbam jucundissimo amoris, caritatis, benevolentiae fructu spoliatam, urbem denique totam viduitate et solitudine squalidam ac desertam, ab extremo complexu Parentis sui exclusam longinquitate locorum, et quaerentem in tanta aegritudine levamen aliquod acerbi vulneris, et aliquod solatium lacrymarum! Verum non est in me dicendi tanta facultas, neque tanta vis,

valetudine praesertim hoc tempore tam infirma, ut gravem hanc vicem et jacturam verbis aequare possim, et inclytum Praesulem pro sua virtute et dignitate laudare. Quid igitur agam? quo me vertam? num rei difficultate deterritus ab hac luce et conventu abstinebo? Minime vero. Sed quoniam tam humaniter exposcitur vox mea ab iis, quorum voluntati et imperio obsequi debeo, hoc, licet impar viribus meis et vestro potius dignum ingenio et eloquentia, onus suscipiam eo consilio, ut aliquod tam tristi funestoque tempore meae pietatis et amicitiae erga optimum Praesulem nobis ereptum, erga vos, Eminentissimi et Reverendissimi Patres, venerationis, observantiae, obsequii mei specimen innotescat.

Bernardus Maria Carenzonius ex nobili et spectabili genere ortus Brixiae, urbis celeberrimae et hominibus eruditis florentissimae, exhibuit vel a prima aetate, felicissimum quasi omen futurae amplitudinis et excellentiae, liberalem et auream indolem, experrectum ingenium, memoriam

promptam ac firmam, singularem et incensam ad optima quaelibet, et praecipue ad rerum sacrarum studia voluntatem; quae omnia summa morum dignitas et innocentia decorabat ita, ut vel maxima foret apud omnes ejus cum doctrinae tum virtutis exspectatio. Laudabiliter acta adolescentia et politioribus disciplinis exculta, spernens vetusta quaeque nomina, patriaeque insignia et ornamenta majorum, in ordinem S. Benedicti congregationis Montis Oliveti nomen dedit, et Religioni se addixit. Fuit hic primus quasi campus, in quo eluxit ejus virtus, et magnam non laudem modo, sed etiam admirationem est consecuta. Cum enim videret ipse atque intelligeret Institutum illud duobus potissimum florere et excellere, scientiis scilicet et morum disciplina, utrumque praestitit vir clarissimus. Nam impense deditus studiis philosophiae et rerum ecclesiasticarum, quibus maxime ducebatur, mirum quantum in illis profecit; se plurimum facultate intelligendi, disserendi subtilitate atque solertia, summa facilitate difficilia quaeque explicandi com-

mendavit; solidisque imbutus principiis scientiae illius, quae non inflat, sed aedificat, erat aliis tanquam stimulus et nobile calcar exemplo et cohortatione sua, ut theologicis quaestionibus institutis, et in utramque partem versatis, crebrae ingeniorum exercitationes fierent, tollerentur discrepantes sententiae, hausta ex sacris Litteris et ex Traditione divina, ex sanctis Patribus atque ex Conciliis veritas eluceret. His tentaminibus non solum haerentes et remissi, tarditate excussa, sed incensi etiam et currentes sponte sua ad bonarum disciplinarum cultum alacrius excitabantur. O eximium virum planeque insignem! Quantum tibi illud domicilium, quantum severiores disciplinae ardori, industriae, nomini tuo debent! Haud tamen tanti facienda est haec eadem gloria in viro praesertim Religioni addicto, nisi eidem plurima accedat ex pietate ac moribus commendatio. Imprimis enim docti homines virtutem opus est ut colant et habeant vitae ducem ac magistram, sine qua nihil valent scientiae, et cognitio omnis penitus repudianda. Quod quidem

ille optime intellexit atque perfecit. Ad decus enim natus et honestatem, non minorem comparandae doctrinae, quam vitae bene agendae ac moderandae curam et sollicitudinem habuit. Jam ille plane diligens et assiduus in implendis singulis partibus officii sui, promovendae Religioni intentus, semper sui similis et constans, concordiae et pacis studiosus, in omnibus prudens, animo cum magno et excelso, tum aperto, simplici, humano, aliisque virtutibus praestans; de quibus melius silere judico, quam pauca dicere. Hinc ipse omnium sibi benevolentiam conciliare, ad praecipuas sui ordinis dignitates gradatim ascendere; saepius adhiberi ejus consilium in gravissimis illius congregationis negotiis publice pertractandis et expediendis coram summis Magistratibus tum ecclesiasticis tum civilibus; tanta denique esse opinione atque existimatione apud omnes, ut facile unusquisque credere et judicare potuerit, Bernardum Mariam, si non primum, certe parem fuisse doctioribus viris, qui tunc temporis maxime floruerunt.

Jam pervaserat longe ac late ejus nomen : Tiberis oras impleverat. Magnis igitur muneribus jam maturus, ex solitariae vitae latebris ac silentio in hominum frequentiam coetumque prodire, in aciem ingredi ac palaestram, et ecclesiasticae Historiae studium a prima adolescentia cultum semperque auctum in publico Sapientiae Athenaeo Romae profiteri. Ardua sane res et difficultatis plenissima, illis temporibus, in urbe illa tam celebri, et disciplinarum atque artium omnium altrice, in tanto affluentium juvenum hominumque doctorum conventu Historiam docere; Historiam, dico, Religionis sanctissimae, quae humili loco nata, in ultimas terrae partes diffusa celeritate incredibili, aucta Martyrum sanguine, Conciliorum oraculis, decretis Pontificum, doctrina sanctorum Patrum tanquam propugnaculis septa, stipata prodigiis exemplisque virtutum toto terrarum orbe, represso hostium impetu, dominatur; et inter tot ac tam frequentes nationum ac temporum vices ad nostra feliciter usque tempora viget pura, integra, incor-

rupta, semperque vigebit ac stabit in posterum, tum etiam victrix, cum maximis fluctibus agitata undarum vorticibus obrui videtur, ac prope submergi. Quantae, inquam, non difficultatis ac laboris solum, sed ingenii etiam ac solertiae esse debet rei tantae initia, progressus, ordinem, amplitudinem, eventus omnes mente et cognitione comprehendere, memoria complecti, ratione distinguere, facilique sermone exponere atque explicare! Verum minime hoc difficile aut arduum viro huic peritissimo, qui validis munitus praesidiis et omnium rerum apparatione instructus ad tantum honoris gradum evectus est; qui tam multa legit, tam multa vidit atque percepit ex omni vetusta recentique doctrina, novit mores saeculorum, sapientium scita, scriptores plurimos, eorumque ingenium, scientiam, fidem, studia cognovit acri exquisitoque judicio, et vera a falsis, a solidis levia, dubia a certis secernens sagaciter providit, et declinavit diligenter omnes praeposteras opiniones, in quas temere et imprudenter nonnulli tanquam in scopulos ab-

ripiuntur, iisque maximo cum dedecore ac detrimento adhaerescunt. Itaque ad eum multi veluti ad solertissimum ducem et uberrimum aliquem scientiae fontem adolescentes undique convolabant studio derivandi et hauriendi saluberrimos latices purioris doctrinae; ex ejus ludo ac disciplina saepius prodibant ecclesiasticarum rerum eruditione instituti tot illustres alumni, qui se plurimum profecisse ex ejus consuetudine fatebantur; de eo splendide et honorifice sensit summus Pontifex Pius VI. immortalis memoriae, sacrum Cardinalium collegium, aliique praestantes viri, soliti ipsum benigne excipere, favore omni complecti, consiliorum suorum participem facere, in rebus dubiis consulere, ejusque sententiam gravissimam judicare.

Eximia sane virtus, ac digna prorsus, quae in ampliorem campum traducta clarius eluceat, et multis etiam in Ecclesiam meritis illustretur. Summa nimirum Dei providentia atque consilio statutum erat, ut quae Bernardus Maria a prima aetate didicerat et postea docuerat, exemplo et-

iam, quod plurimum valet ad animos hominum permovendos, confirmaret. Deflebat tunc temporis, amisso Patre, orbitatem suam Feltriensis Ecclesia; perillustris illa Ecclesia, quae ab apostolicis usque ductam temporibus originem jactat, et a B. Prosdocimo divi Petri disciplo fundata Ecclesiae Patavinae vetustatis gloria proxime accedit. Reservatum siquidem erat Carenzonio hoc maximis oneribus pressum, et summis affectum difficultatibus munus implere. Quare Pontifex Max. Pius VI. acer virtutis aestimator ac judex illum elegit, ut tam vetustae, tam conspicuae Ecclesiae praeesset. O diem illum beatissimum, quo magna totius urbis gratulatione inter effusos omnium ordinum plausus novus Praesul concreditae sibi vineae procurationem administrationemque suscepit! Qui tunc in omnium animis voluptatis sensus! Quae laetitiae significatio! Quisque enim in magnam spem erigebatur fore, ut sub tanto tamque eximio Antistite Feltriensis populus vigeret optimis institutis, et diuturna felicitate frueretur. Is scilicet ex publica ju-

venum institutione ad sacrum animarum regimen, ab ecclesiasticae Historiae scientia ad Ecclesiae ipsius defensionem atque custodiam, ex cathedra ac palaestra ad episcopalem Sedem translatus quidquid anteà discendo aut docendo collegerat diligentissime ex tam vasta illa provincia vel ad Cleri universi disciplinam pertinens, vel ad sacra jura tuenda atque servanda, vel ad tollendum vitium propagandamque virtutem, id omne in Gregis sui emolumentum atque utilitatem convertit. Dignitatem imprimis ecclesiastici Ordinis, unde dimanant in populum universum exempla et documenta virtutum, promovendam atque amplificandam suscepit, qua delectis ad sacra munia idoneis ministris, qua ingenuis adolescentibus in Seminarium receptis, quod ipse miro patrocinio ac benevolentia prosequebatur, vel missis passim in vineam suam sedulis agricolis, et in curarum suarum vicariam procurationem vocatis viris spectata prudentia, probitate, doctrina praestantibus; quibus omnibus ipse praeibat intaminata quadam innocentia vitae, ingentique

instructu virtutum omnium, quae homines Deo consecratos maxime debent exornare. Ejus vero in populum sollicitudo atque amor quam late pertinet quamque exsplendescit? Quodnam tempus fuit unquam, quo ejus defuerit aut in rebus dubiis consilium, aut in difficilibus industria ac labor, aut in salute ovium tuenda vigilantia, vel in exemplis sanctorum Patrum renovandis sedulitas ac diligentia, vel in veteribus Ecclesiae institutis confirmandis aut in usum revocandis fortitudo atque constantia? Aderat tanquam tutor fidelis facilitate et clementia timidis, pueris sollicita christianae institutionis cura, subsidio infirmis, solatio afflictis, aegris remedio, patrocinio cunctis tum voce, tum datis ad eos litteris, quos in officii et laboris sui partes adsciverat; unice bono Gregis intentus, nihil aliud quam illius incolumitatem, et gloriam Dei cogitabat: huc praecipue referebantur ejus contentiones et curae omnes; huc edicta ad populi utilitatem vulgata, pastorales Epistolae cum sapientiae tum caritatis plenissimae, sacrae conciones ad rudium etiam in-

telligentiam accommodatae ; huc illa crebro suscepta itinera tempestatibus non raro incommodis, importunissimis etiam horis, molesta caeli temperie per omnes dioecesis regiones , ut oves inviseret, templa lustraret, in omnium mores inquireret, cuncta investigaret , pervideret , distribueret , quae dilapsa jam fluxerant , vinciret aptis legibus , infirma solidaret, abjecta reduceret. Quam dulce et jucundum animarum Pastoribus, et sacrorum Ministris illi obviam occurrere , et oculos pascere suavissimo Patris aspectu ! Quam jucundum solitariis agrorum et montium incolis per asperas illas oras et gelu obsitas passim aspicere ad diuturnam memoriam impressa pastoralis beneficentiae praeclara vestigia ! Libenter haec coram populo illo, in illa urbe nunc praedicarem : novit enim ipsa effusam illius munificentiam et pietatem, qua auctus fuit Dei cultus atque honor, instauratis sacris aedibus aut refectis; qua ampla in pauperes et miseros erogata saepius subsidia, qua tunc maxime exhilaratae sunt indigentium domus , cum flagrante bello Italia (tristissima temporum recorda-

tio !) regio tota armorum metu, excursione hostium, summa inopia et caritate rei frumentariae laborabat; novit ipsa et experta est illam, quae maxima fuit ejus virtutum, et civilium etiam Magistratuum adprobationem meruit, eximiam singularemque prudentiam; prudentiam, dico, non saeculi aut carnis, quae quaerit tantum quae sua sunt, et humanis in id artibus connititur, sed quae humana et divina conjungens ad justas disciplinae leges non solum sua, sed etiam subditorum consilia omnia atque opera exigit, et certa temperatione componit, ut inde pax, ordo, felicitas efflorescat. Hac usus prudentia Carenzonius Cleri et populi mores sapienter moderatus est, et ad bonum cum Ecclesiae tum Civitatis instituit, omnes ad privatam et publicam tranquillitatem hortatus est, debitam legibus reverentiam, observantiam Magistratibus, Imperio obsequium tum voce tum exemplo ita promovit, ut maxime exsplendesceret in illa dioecesi conjunctus honor ac dignitas utriusque illius potestatis, quae tanta inter se necessitudi-

ne et affinitate continentur. Haec eximie gesta movebant non Feltriam modo, sed etiam omnes finitimos populos atque urbes, ut tantae gloriae tantique nominis Praesulem summopere admirarentur ac diligerent, ut de eo magnifice praedicarent. Quamquam quid ego ista commemoro? Factum omnium excellentissimum ac maximum minime est silentio praetermittendum. Recordamini, Auditores, ea quae tum contigerunt, cum a Summo Imperatore Lutetiam Parisiorum vocatus fuit Carenzonius, ut nationali Concilio interesset. Jussu regio accepto, licet provecta esset aetate et diuturno morbo afflictaretur, tamen nihil incertos eventus valetudinis, nihil itineris longitudinem et difficultatem extimescens, superante animi vigore infirmitatem corporis, discedere non dubitavit, et commodo ac saluti suae causam boni publici anteferre. Sed antequam Feltriam relinqueret bonus et amantissimus Pastor, quadam veluti praesensione tantae illius calamitatis, quae tam prope illi imminebat, voluit dare suis ovibus, quas semper mirifice dilexit

carasque habuit, nobilissimum pignus amoris sui ne post obitum quidem defuturum. Scripto enim testamento cavit, ut post mortem facultatibus suis provisum foret et consultum indigentium aerumnis, et praesertim verecundiae ac pudori periclitantium puellarum. O magnum liberalitatis exemplum! O benevolentiam et pietatem praeclarissimi Antistitis, seu potius Patris, eximiam prorsus et singularem! Tibi ego nunc, inclyte Praesul, (mortuum enim appello) Feltriae nomine gratias ago; quia cum vivus semper omnibus profuisses, etiam mortuus vis prodesse, et adhuc vivere cum filiis tuis amore, beneficentia, caritate. Facta ultimae voluntatis suaé declaratione tam illustri, a dulcissimo sponsae amplexu divellitur nunquam eam in posterum revisurus.

In hac praecipue urbe omnium splendidissima, in hac tanta doctorum hominum luce cognitum fuit et perspectum, quantum Carenzonius sapientiae fama et nominis celebritate praestaret. Vos enim eundem saepius audistis, Illustrissimi ac Reverendissimi Patres, de rebus ad Concilium

spectantibus graviter disserentem, solidis expendentem omnia rationum momentis, et ad certa quaedam principia revocantem ingenio acuto ac solerti, multa vi sermonis, maturitate incredibili. Hisce dotibus vestram ille existimationem, vestram benevolentiam sibi promeruit; MAXIMI IMPERATORIS, tot inauditis rerum gestarum monumentis clarissimi, et de Galliae incolumitate ac religione, de pace Italiae egregie meriti studium et gratiam obtinuit, dignus propterea, qui inter Concilii Patres designaretur Promotor, et unus ex iis Episcopis, qui ad supremum totius Ecclesiae Pastorem ac Praesidem PIUM VII. legati delecti erant. Nihil profecto munere illo haberi aut cogitari magnificentius potest, nihil gravius; ad quod obeundum non nisi summi viri et in rebus gravissimis exercitati solent adhiberi. Sed doleo me eo devenisse, ubi gestiens per ejus laudes liberius excurrere repente tanquam scopulo adhaerescit oratio, refugitque ea commemorare mihi vobisque acerbissima, quae tantae hujus legationis initia contaminarunt. Jam ille mandata exe-

qui properabat; jam una cum sociis gloriosi muneris parabat iter suscipere; cum, nobis nihil tale metuentibus, subito et letali morbo perculsus inter lacrymas et questus sociorum Antistitum, XIII. Cal. Septembris anno MDCCCXI. (proh dolor et rerum omnium repente facta conversio!) vitam honestissime et egregie actam praeclaro fine concludens, doctrinae et prudentiae suae triste nobis et bonis omnibus desiderium reliquit. O casum miserum atque funestum! O gravem acerbamque fortunam! Itane Praesulem optimum, virum amplissimum tam brevi tempore in medio honorum cursu nobis sublatum? Neque licuit tibi, Feltria, morientem intueri, extremas voces audire, adesse supremo hoc in illum pietatis et caritatis officio? Heu! illa repentino calamitatis suae nuncio commota vertit in has oras moestum vultum, tendit supplices manus magnis fletibus et crebra commemoratione Patris adempti; cumque nequeat jacentem aspicere, dulcesque exuvias amplexari, animo saltem et cogitatione mortuum complectitur, quaerit aliquem dolori

et lacrymis modum ex pervagata et splendida ejus meritorum fama, et ex dulcissima multarum virtutum recordatione; has refert ac praedicat ad solatium moeroris sui oblectationemque curarum, semperque referet ac praedicabit in posterum; et suis scribet in Fastis ad sempiterni memoriam temporis, Bernardum Mariam Carenzonium in sacri Coenobii solitudine vitae integritate ac religione, in romano Athenaeo eruditione atque doctrina, in episcopali Sede pastorali sollicitudine, in nationali Concilio Parisiensi scientia, gravitate, auctoritate summopere claruisse.

DIXI